

1999
A
1948



F

anf.

SS

45.

ORATIO
DE ORIGINE
ET INCREMENTO TY-
RANNIDIS AC POTEN-
TIÆ PONTIFICIÆ.

habita 13 Maji an. 1618.

IN ILLUSTRIS GYMNASIO
Stadhagiano


à

M. HERMANNO VASTELABO Lemg.
Prof. Publ.



HAGÆ Schaumburgicorum.

Wapen van Schaumburg



Reverendis viris,

*eruditione, doctrina, humanitate, & virtute
praestantissimis,*

Dⁿ. HENRICO CALMEIERO,
Patri Priori:

Dⁿ. CONRADO HOIERO,
Subpriori & Poëtae Lauri Casareâ claro:

**Dⁿ. LAURENTIO VVEST=
HOFFIO,** Seniori & Custodi:

**Dⁿ. HENRICO BECKMAN=
NO,** Procuratori:

*& ceteris Presbyteris Orthodoxi Collegii Mol-
lenbeccensis, Fautoribus & Amicis magnope-
re observandis, salutem & felicitatem ab o-
mnis boni datore Christo precatur*

M. Hermannus Vastelabus Lemg. in
Illustri Gymnasio Stadthagiano
Prof. Publ.

Hanc



anc Oratiunculam, Viri Reverendi, inter so-
lennes meas nuper habitam, vestris potissi-
mum nominibus inscribere, & nuncupare ani-
mum meum induxi. Primum, quia Pontifici-
is $\omega\epsilon\psi\eta\mu\alpha\sigma\iota$ ac deliriis abjectis puram & in-
corruptam Ecclesie doctrinam in Prophetarum
& Apostolorum scriptis fundatam, atq; in Augustanâ illâ anno
M. D. XXX. Carolo V. Imperatori exhibitâ Confessione arti-
culatim repetitam magno cum desiderio à compluribus annis am-
plexi estis, & sine superstitione aut vanis cultibus ad huc sonatis.
Digna predicatione & aeterna laude hac vestra est pietas, & in-
optima ratione & sacrosancto deposito tuendo constantia. De-
inde, quia ab adolescentia mea semper mihi benignè à Collegio
vestro factum est. Etenim respiciens subinde spacium effluxi
temporis summa cum voluptate recordor Reverendum Patrem,
vera religione, liberali doctrina & virtute, morumq; comitate
prestantem Dn. Hermannum Weningium mihi principem ad
suscipiendam & ingrediendam rationem horum studiorum ex-
stitisse, insuperq; Nobilissimum & perpetua memoria dignis-
simum virum Doct. Antonium à Wittersheim Cancellarium
Schoumburgicum &c. conciliasse; quorum uterq; ad extre-
mum usq; vita balitum me dilexit unicè, & ego utrumq; debita
observantia & honore, ut par erat, vicissim colui, neque opti-
morum Mecœnatum memoriam ex animo meo deponam, donec
Dei voluntate & nutu in vita cœlesti ad illorum consuetudinem
& familiaritatem aliquantisper hisce in terris interruptam con-
gregabor. Ab eo tempore Vos in Collegio digni successores,

ut etiam Nobilissimi hæredes à Wittersheim, eadem bonitatis
& favoris aurâ me filiosq; meos prosequimini, & amicitiam velu-
ti per manus acceptam, & hæreditariam utrinque constantèr
conservatis. Itaq; hunc debiti officii & propensionis gratiq; a-
nimi arrationem vobis, viri Reverendi, acceptissimum fore,
etiam propter honorificum iudicium & opinionem de qualibus-
cunq; meis vigilis, non ad ostentationem eloquentiæ aut pompas
panegyricas compositis, certò mihi persuadeo. Bene feliciterq;
valete. Stadibagii 6. Id. Aug. anno Christi Jesu 1618.



ORA=



ORATIO.



eculum, annuis cursibus revolutum & terminatum effluxit, Auditores ornatissimi, quo inexhausta Dei bonitate & nutu vires Romani Antichristi incisæ & fractæ magnam regno Pontificio ruinam attraxerunt. Nam excitavit Deus ultimò mundi tempore ultimum Eliam, qui spiritu & donis Thesbitæ Eliæ (Prophetarum maximi, olim turbine rapti & in coelum quadrigis igneis subvecti) instructus, non modò tetigit coronam Papæ & ventrem Monachorum, ut Erasmus dicebat, sed etiam nervos Papæ & potentiam usurpatione quadam superba & fastuosa sumtam planè contrivit, debilitavitq; . Hic erat singulare illud Dei organon Martinus Lutherus, ad sanam doctrinam verbi cœlestis à sordibus & quisquiliis Pontificiæ idolomania vindicandam electus. Imò is ipse Cygnus, qui post decursum centum annorum venturus esset, à Joanne Husso anserè prædictus: & ille Reformator, quem veluti digito Hieronymus Savonarola brevi adfuturum ostenderat, tum etiam Joannes Keisersbergio Maximiliano Casari familiarissimus, septē annis antè, præfaga mēte prædixerat, diemq; propinquæ Reformationis longo cum suspirio videre optarat. Vires & testes alios silentio volens prætermitto. Quæ verò certamina & discrimina huic fortissimo Dei athletæ Luthero subcunda fuerunt, & quem eventum secundum res habuit, abundè rerum gestarum commentarii docent. Ideò superioribus mensib9 anni præteriti festum jubilæum pio & maturo consilio publicè institutum fuit, in quo gratiæ Deo opt. max. agerentur pro

restituta integra luce Evangelii, & revelato Antichristo, filio isto perditionis, qui omnia suo arbitratu & libidine administrabat in Ecclesia & Imperio. Nam miseras hominum mentes à genuino verbi & articulorum fidei sensu abductas variis errorum mæandris & fluctuantibus opinionibus implicabat. Quapropter non immeritò gratias Deo immortalis & misericordis pro tanto beneficio agimus, cumq; oramus, ne accensam lucem propter ingratitude nostram rursus obscurari aut extinguì, quin potiùs ad finem mundi propagari sinat. Si enim Mardocheo & reliquæ genti Judaicæ ut legimus capite nono libri Esther, cunctis annis recurrentibus dies solennes & sacra solennia fuerunt, quòd Deus è sanguinaria & crudeli manu Hamani illos eripuisset, ejusq; machinationes & consilia irrita fecisset, quantò magis decet pios Christianos, & salutis æternæ cupidos agnoscere & extollere immensum hoc beneficium per ministerium magni præconis Lutheri Christiano orbi præstitum. Quandoquidem non solùm ex momentaneis & terrestribus, verùm ex spiritualibus & æternis animarum periculis clementissimus Deus nos exemit. Qua de re doctorum hominum & luminum Ecclesiæ cedro dignissimæ lucubrationes non ita pridem in publicum prodierunt, in quibus religiosa commemoratione hanc Dei bonitatem celebrant. Præclare quidem & piè. Nam mysteria regis abscondere bonum est, opera autem Domini revelare & confiteri honorificum. Tob. 12.

Hac mihi data ansa accuratiùs perpendendi intolerabilem Romani Flaminis arrogantiam & superbiam, quam sibi præ cæteris Episcopis & Ecclesiarum Præsidibus temerario quodam ausu, & prærogativa minimè concessa sumsit, operæ precium apud literariam juventutem facturus existimabam, posteaquam, ut dixi, integro seculo, sive centum annorum periodo circumacta, secundum seculum ingressi sumus, si de
ori-

origine & incremento occupatæ & rap^tæ, hujus tyrannidîs ac
potentiæ breviter strictimq; agerem. Norunt quidem omnes
adversarium puræ Religionis Papam esse, & fidei Christianæ
articulos adeoq; scripturam universam perniciosissimis & ab-
ominandis corruptelis depravasse & adulterasse: cæterum
quibus artibus, & quo molimine ad primatum, & fastigium,
quod tenet, sensim prorepserit & dominationem confirma-
rit, haud forsitan æquè cognitum & perspectum habent. Pro-
inde aperta & dilucida oratione rem ipsam, ex primaria cau-
sa translationis imperii Græcorum deductam, in procinctu
semestrium lectionum & exercitiorum explanare conabor.
In spem venio, vos bonarum doctrinarum sectatores, quibus
fidem & operam meam probare cupio, hanc honestam volū-
tatem inserviendi vestris commodis, & studium in optimam
partem candidè interpretaturos esse: siquidem cognitu ne-
cessarium est argumentum, & dignum in quo explicando &
considerando industria ponatur.

Utu & observatione compertum est, nullam in rebus
humanis mutationem accidere sine prægressa occasione &
causa aliqua evidente. Ita, ne longè abeam, aut remota ex-
empla investigem, planè sentio translati imperii a Græcis ad
reges Francorum, non exigui momenti causam fuisse. Hanc
in Græcorum Principum imbecillitatem, vel etiam socordi-
am conferre possumus, quoniam Constantinopoli arcem &
sedem imperii habentes, & tanto locorum intervallo sejuncti
ab Italia, libertatem ejus regere, & pericula ex omnibus locis
intentata propulsare non valebant, aut omninò negligebant.
Et cum Exarchatum Ravennæ instituissent, is quoque magi-
stratus sive honos magis oneri & damno Reip. erat, quàm
utilitati & commodo. Fuerunt a. Exarchi velut vicarii Im-
peratorum, ex Constantinopoli missi, non quidem de fece
hominum, sed existimatione & auctoritate viri conspicui,
quòd

quod appellatio indicat. Etenim ἑξαρχὸν eximium seu præcipuum principem significat. Quare falluntur, qui vocabulum à sex urbibus dictum existimant. At horum gubernatio duravit annos centum & sexaginta, quo toto tempore Italianam non leviter afflixerunt: cum etiam Longobardos variis modis irritassent, ac undiq; vastationes & direptiones fierent. Erant a. Longobardi natione Germani, & primitus habitabant ad confluentem Albis & Salæ, quo in tractu nunc dioceses Magdeburgensis & Halberstadenensis celebres sunt. Sed accessit in Italiam à duce Narise auxilium ipsi tulerunt contra Gothos, qui ex Asia progressi in Italiam se infuderant. His verò ex Italia pulsis, illi amœnitate & ubertate loci plurimum delectati sedem inibi & regnum posuerunt, cujus adhuc vestigia & nomen permanent. Tùm etiam cum Græcis de Italia principatu contendere cœperunt, & occupatis illis, quæ ad Exarchatum pertinebant, urbis quoq; Romæ imperium affectarunt.

Sed Pontifices Romani, prius Pastores Ecclesiæ, & propagatores incorruptæ doctrinæ Christi, quam etiam martyrii sigillo pleriq; obliuiscunt, tùm ambitiosi falsarii, & avaritiæ labe infecti, ad suam potentiam amplificandam, & ea sibi vindicanda, quæ nondum de Imperio Romano post Gothos exactos Longobardi occuparant, omnes curas & cogitationes conferebant. Cumq; magnum Longobardorum odium Pontifices haberent, Francos cum Longobardis committabant. Sic mutationis imperii Orientalis, inque Francorum familiam translatis potior causa exstitit superbia antecellendi, & cupiditas dominandi in Pontificibus Romanis, de qua hisce necessariò præmissis tractandum hoc loco nobis sumimus. Nam inde usq; ab us temporibus, quibus eorum auctoritas aliquo modo invaluit apud Imperatores ad fidem Christi conversos, maximo nisu & astu ex lacerationibus ac ruinis parum Eccle-

Ecclesiarum Orientalium, partim Imperii Romani raptam potentiam roborarunt, sibiq; primò principatum inter Episcopos, & dominium in universas Ecclesias orbis Christiani arrogarunt. Neq; his contenti, etiam Imperia ac regna suam sub jurisdictionem subjunxerunt: atq; ex ruderibus lacerati & distracti Imperii sese armarunt. Cùm n. in Nicena Synodo cõmuni consensu decreta fierent de cura Ecclesiarum, & singulis Episcopis certæ Ecclesiæ demandaretur inspectio, Romanus illam æqualitatem dirupit, nihilq; , à cæteris deliberatũ & sancitum quod esset, ratum habere voluit, nisi ipse præcipuè approbasset. Hanc pertinacem auctoritatem postmodò ex dissidiis Orientalium Ecclesiarum propter Arrii delirium de Filio Dei auxit confirmavitq; , donec tandem Mahometico furore Orientalibus oppressis & subjugatis, uni Bizantino Episcopo de primatu litem intenderet, quam Phoca Imperatore consentiente obtinuit. Hic enim socors & ignavus Imperator Romanum Baalem omnium principem declaravit.

Exinde videntes Romani Episcopi interire Ecclesias in Asia atq; Africa cristas erexerunt, & fiducia acquisita auctoritatis insolentiores facti spem certiorẽ augendæ & stabilendæ potentia in omnes orbis Christiani Ecclesias conceperunt. Quare nihil prius ipsis fuit, quàm adeptum dominium & raptam potestatem imperandi cæteris, omniaq; pro arbitrio vel statuendi, vel abrogandi, eò conferrent, ut ministerium Evangelii ad similitudinem Monarchiæ politicæ in Hierarchiam, sive Monarchiam Ecclesiasticam converterent. Quò plausibiliter gradus & ordines officiorum accommodarunt, ut olim in prima Ecclesia, conservandæ purioris doctrinæ & severioris disciplinæ causa, factitatum fuisse meminerant. Hac specie Romanus Pontifex constituebatur Monarcha & caput orbis Christiani, etiam cæteris omnib. Episcopis invitis & reclamantibus. Ut autem huic summo antitisti

B

honos

honos & auctoritas à fautoribus & Gnathonibus conciliaretur,
aliarum gentium in orbe Christiano Ecclesie ipsi subiciebantur
cum religione jurisjurandi ad fidem & obedientiam prestanda.
Constituti preterea sunt Patriarche, qui proximi habebantur
Pontifici, ejusque absentis vices gerebant in reliquis orbis ter-
rarum partibus extra Europam. Sic quoque distinctionem ho-
norum, antea habebam, libenter illos retinuisse *κακοζήλια* qua-
dam & furo, ut alii essent Presbyteri, alii Diaconi, alii qui-
buscunque aliis muneribus fungerentur: ad ostentandam Papa-
lem eminentiam, & afferendos cultus idolatricos ex humano
cerebro extractos. Adeo umbram & nudas appellationes
in prima Ecclesia natas, arripuerunt, officiis ipsis & ministeri-
is in abusum conversis. Hæc tamen plerorumque graduum
distinctio, ut etiam classium, temporum, lectionum, exerci-
tiorum, inspectionum, examinum & cæterorum utilium ri-
tuum propter primam illam originem & institutionem in re-
purgatis Ecclesiis ac Collegiis, quæ dudum Romanis super-
stitionibus & prestigiis nuncium miserunt, bono modo & fi-
ne recepta, sine offendiculo fertur & usurpatur. Subsecutus
est tandem varius grex errorum, sive vagantium Fratrum &
Sacrificulorum, qui in provincias dispersi, & quasi succenturi-
ati milites in præsidiis collocati tutarentur ritus & leges Pon-
tificias, omnique conatu & arte ad morigerandum Papæ mise-
ros homines commoverent, exuscitarentque. Neque officio
suo isti defuerunt. Etenim plurimos doctis dolis & ingenio-
sis fabricis in transfennam ductos Pontifici Romano lucrati
sunt, & coetum suum auxerunt. Ut quidam Franciscanorum
Guardians per jaetantiam dicitur, se per quadraginta pro-
vincias plus quam sexaginta milia nudipedum Monachorum
suo ordini acquisivisse. Quam interim accessionem Ponti-
ficio regno reliquos Anachoritas fecisse arbitramur? Ac-
cessit Senatus Cardinalium, accesserunt Collegia Basilica, item
Ca-

Canonicorum & aliorum generum: quorum plurima, iugo Pontificio & inquinamentis per Dei gratiam discussis, puram & illibatam Evangelii doctrinam, in sanctorum varum & Legatorum Christi libris traditam, & Confessione Augustana dilucidè expeditam, amplexa sunt, atq; propter sinceræ pietatis exercitia magnum in Ecclesia nomen habent.

Sic stabilito throno dignitatis Pontificiæ commenti sunt dolum & machinam aliquam ad terrendos Principes, ne quid contrà auderent aut intentarent. Nam cruentorum edictorum promulgationibus minitabantur & inculcabant ipsis fulmen anathematis, exilium, & omnis generis mala, ni dicto audientes essent solio Romano. O simplicis ævi simplices animos. Evolvantur historiae. Has compedes & hæc vincula bonis principibus Pontifices injiciebant, ut interim ipsi se munirent opibus ac potentia, & specie quacunq; provincias occuparent, fraudulenter fingentes concessionibus & donationibus Imperatorum hæc sibi potestatem indultam esse, adeoq; ius habere tradendi & eripiendi imperia pro lubitu.

Huc adstruebant auctoritatem quoque divinam de Petro Apostolo, cui data esset summa potestas non solum in ministerio Evangelii, sed etiam in Politica gubernatione, idè eandem potestatem manare ad successores Petri, qui sint Pontifices Romani. Ostendere idem volebat suo manifesto exemplo Bonifacius Octavus, Malefacium dicas, qui anno 1250. prima die festi solennis in Jubilæo venit Romæ in templum præsentibus legatis Cæsaris cum habitu pontificali, benedictionē populo impertiens. Sed postera die in templum rediit infula Cæsarea insignis, aulico quodam gladium nudū præferente, cumq; consedisset, exclamavit alta voce: Ecce duo gladii hîc. Hæc gesta postquam recitasset Albertus Crantzius, licet Pontificius Doctor, libri octavi Saxoniae suæ capite 36. Papæ insultans hanc in vocem erumpit; Vide ô Pierre

successorem tuum, & tu ô salutifer Christe terne Vicarium
tuum. Vide quò ascendit superbia servi servorum tuorū. Hæc
ille. Adeò potestatem gladii Deus Pontifici non dedit, neque
potestatem in imperia Pontifex habet, juxta dictum Christi:
Reges gentium dominantur: Vos a. non sic. Item Danielis:
Deus transfert & stabilit regna. Ergo frivola Pontificum sunt
argumenta & sponte sua cadunt, quib. auctoritatem suam in
Imperatores stabiliunt, cùm etiam ex vetustissima consuetu-
dine inde à temporibus Constantini Magni constet ipsius Ro-
mani Episcopi confirmationē penes Imperatores esse. Quam
consuetudinem renovavit Carolus Magnus Occidentis impe-
rium iniens, ut quidem Episcopus Romanus Oecumenicī ti-
tulo gauderet, rerumq; sacrarum, ad ministerium doctrinæ &
disciplinæ Ecclesiasticæ pertinentium: sed jus constituendi
Episcopos, veterum exemplo, ipsi Carolo & posteris relin-
querent, neque ullius Episcopi electio, nedùm Romani sine
Imperatoris assensu rata haberetur. Sic Otho tertius, Hen-
ricus tertius; Henricus quartus, Ludovicus Bavarus, non ad-
do plures, remotis ab officio Pontificibus substituerunt ali-
os: ut sanè mirum sit Romanas istas bestias tam egregium &
magnanimum Imperatorem Fridericum primum, cogno-
mento Barbarossam, Philippum filium successorem, Frideri-
cum secundum, Conradum quartum & alios potentissimos
Cæsares premere & furis suis exagitare potuisse. Sed ô ite-
rum, ajo, simplicis avi simplices animos.

Si verò inde ab illis temporibus Imperatores potestatem
habuerunt in Pontifices, qua fronte, sive quo ore audent illi
pervicaces boni ordinis turbatores & omnium dissensionum
bellorumq; tubæ ac flammæ asserere, Cæsarem non fieri, nisi
à Pontifice consecratum, & imperatorio diademate donatū.
Quod pleriq; simplices Imperatores credebant fulcimentum,
circumspectioribus aliis erat commentum. Nam Pontificum
con-

consecratio tantum est testificatio, hunc dignum esse judicatum communi Principum Electorum voce & suffragio, qui vacuum nunc Cæsareæ majestatis solium capefferet, & imperium administraret. Et inventi sunt in ipsis Imperatoribus, qui hanc quoq; renunciationem & inunctionem Papalem floccipenderent ac negligenter, Etenim Conradus Primus Franconiæ orientalis dux, excellenti animo & virtute præditus post fatum Ludovici quarti ad splendorem & dignitatem imperatoriam productus in sola Procerum electione & assensu acquievit, de astipulatione Pontificis parum sollicitus: & nihilominus egregiam nutantibus & periclitantibus imperii rebus operam navavit. Successor Henricus primus Bavariæ dux, vulgò Auceps dictus, oblatam à Papa consecrandi ceremoniam in minimis posuit, quòd bonorū virorum judiciis atq; suffragiis contentum sese diceret. Et propterea hi duo Cæsares Conradus & Henricus à scriptoribus Italicis & nonnullis aliis in Cæsarum nomenclatura prætermittuntur. Sed quid refert? usui & honori fuerunt imperio, non oneri aut dedecori. Et Ludovicus Bavarus graviter de Pontificum injuriis conquestus in Comitibus Francofordiæ celebratis palàm ex vetustis imperii legibus demonstrat, eum esse revera Cæsarem, qui de Principum voluntate sit electus, etiamsi nullus Pontificis vel consensus, vel consecratio interveniat: siquidem illa ceremonia & species externa in oculos incurrens magno cum detrimento imperii paulatim irrepperit, & consuetudine inoleverit.

Neq; verò hinc reticendum, de illo ficto dominio & inhumana jactantia varias dissensiones & certamina superioribus seculis existisse, totumque Christianum orbem, & præcipuè Germaniam nostram valdè & afflictam fuisse. Nam cõtendebatur acriter vel errore & ignoratione discriminis inter ministerium Evangelicum & potestatem politicam, vel ambitiosâ malitiâ, aliter fieri non posse, quin esset aliquis præcipuus mo-

narcha in Ecclesia, & quidem superior auctoritate & potentia illi, qui Remp. moderaretur, id est, Imperatori: neq; huic, sine alterius consensu quicquam decernendi, facultatē permit- tendam esse. Hanc n. absurdam & impiam vocem eructavit Pontifex Joannes vicesimus secundus: ut Luna à Sole lumen accipit, ita ordinatam esse hominum gubernationem, ut à summo Sacerdote Imperator auctoritatem accipiat. Quoni- am velit Deus caput esse summum in terris, Petri successo- rem, cui Christus claves regni cœlorum, & oves suas pascen- das commendaverit. Eodem spiritu elatus Victor Papa circa annum à nato Salvatore ducentesimum primus Orientalibus Ecclesiis novas leges tulit, & anathemate confirmavit: cui Irenæus Polycarpi discipulus, qui Joannem Evangelistam do- centem audiverat, se opposuit.

Ut a. sublatis contentionibus & dissidiis mutuus consensus maneret in Ecclesia, maturo & deliberato consilio Synodus Nicena tres Episcopos Alexandrinum, Antiochenum & Ro- manum auctoritate & dignitate exæquavit, unicuiq; certarū Ecclesiarum inspectionem & curā commendando. Diu hæc harmonica ratio salutaris erat Ecclesiæ, donec quidam Joan- nes, monastici ordinis obscurus homo, commendatione au- tem simulatæ humilitatis Patriarcha Constantinopolitanus creatus, postea ad Episcopatum evedtus magno supercilio se Oecumenicum sive Universalem dici, & cæteris superiore esse voluit. Etsi Pelagius & Gregorius Magnus huic occurrerent, tamen Mauricius Imperator expugnatus præstigiis dicti Joan- nis ipsum Oecumenicum declaravit. Postea recrudescente hac æmulatione & certamine inter Romanum & Constanti- nopolitanum Phocas, cujus antea meminimus, Mauricii interfe- ctor & successor metuens defectionem Italiæ ab Imperatorib. Græcis, decretum fecit, ut titulum Oecumenici usurparet Romanus Episcopus, licet prius Gregorio detulisset, qui me- mor æquatis & æqualitatis in Synodo Nicena factæ con- stan-

stantissimè recusarat. Hoc robore & præsidio confisi Pontifices Romani diu quæsitam & speratam potentiam cumulatè augere, supraque ipsam scripturam & concilia omnia magis magisque se efferre cœperunt: præsertim aspirante & adjutante opportunitate, quam motus Italici & direptiones cum Gothorum, tum Longobardorum dederant, ut hætenus ostendi. Ita commune dispendium in suum converterunt compendium. Succedebat propositum ex sententia, quoniam cernebant civium animos longæ afflictionis pertæsos, & continuis calamitatibus fractos, ad ipsos potissimum respicere, atque ex ipsorum consiliis pendere. Quis non intelligit Pontificum auctoritatem hoc modo invaluisse, & potentiam in dies manasse latius. Fabula de imperio urbis & Italiæ in Pontifices collato, cæterisque singularibus donationibus & confirmationibus Constantini Magni Pipini, Caroli Magni, Ludovici Pii & Othonis tertii se ipsam jugulat, atque cæu frivola & putida jure summo rejicitur.

Hæc pauca ex multis libuit proponere studiosis adolescentibus, ut considerarent, Pontificum figmenta de suprema sua potestate in Ecclesiam & ipsos Imperatores, contra expressum Dei verbum & honestarum legum approbationem excogitata esse.

Filius DEI JESUS CHRISTUS perpetuò maneat custos & caput Ecclesiæ, eamque contra inferorum portas, Antichristi molitiones, & mundi rabiem clementer protegat & defendat: & omnium piorum, qui ipsi vera fide

cæu palmites inserti sunt, æternam curam agat. Amen.

¶

D I X I.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

D I X I



99 A 6919

ULB Halle

3

002 631 202



56.

Reho. ✓


VD17



DISP

T





45.

ORATIO
DE ORIGINE
ET INCREMENTO TY-
RANNIDIS AC POTEN-
TIÆ PONTIFICIÆ.

habita 13 Maji an. 1618.

IN ILLUSTRIS GYMNASIO
Stadthagiano

*M. HERMANNO VASTELABO Lemg.
Prof. Publ.*



H A G Æ Schaumburgicorum.
Verba volant, scripta manent.

